



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 6. Quæ auxilia præuenientia sint effectus prædestinatiouis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

esse actionem Dei, & hoc sensu fieri per actionem Dei, vel potius esse actionem Dei, eo modo, quo actio fit se ipsa, & quo soler vna, & eadem actio esse instrumenti, & principalis agentis. Vnde in forma respondetur, duplicem actionem intercedere in nostris operibus gratiæ. Vnam peruenientem, & de hac verum est, antecedere ordine naturæ ad nostram cooperationem, alteram cooperantem, & de hac negamus esse priorem natura secundum propriam causalitatem, quia non est in re distincta à nostra cooperatione.

11. Ad alteram obiectionis partem respondetur.

Ad alteram partem obiectionis, cæteris omnibus concessis, negatur vltima consequentia: quia per gratiam præuenientem, seu quæ est principium actus liberi, Deus propriissime facit nostram cooperationem, quando illa fit, & similiter facit, vt cooperemur, non efficaciter prædeterminando, sed inducendo prius, & postea adiuvando. Per concursum autem non tam proprie facit, vt cooperemur, sed facit ipsam cooperationem modo explicato. Quod satis est, vt illa cooperatio sit effectus prædeterminationis, quia non oportet vt eandem relationem habeat ad Deum, & ad voluntatem hominis, nec quod eandem denominationem ab vtraque recipiat, sed satis est, quod quidquid in illo actu est, sit aliquo modo à gratia per prædeterminationem præparata.

12. Tertia conclusio. Probat per primo.

Tertio dicendum est, omnem supernaturalem actum, qui cum effectu confert prædeterminato, vt aliquam habitualement gratiam consequatur, esse prædeterminationis effectum. Probat per primo, quia verissimilius est, omnem huiusmodi actum saltem in electis esse à Deo specialiter prædeterminatum, quæ prædeterminatio ad prædeterminationem pertinet, & ab illa trahit originem cooperatio liberi arbitrij. Secundo, quia ostensum est: omnem gratiam habitualement prædeterminati permanere in æternam vitam, ac proinde conferre, vel pertinere aliquo modo ad effectum vltimum prædeterminationis: ergo si actus talis est, vt cum effectu conferat ad habitualement aliquam gratiam obtinendam, mediante illa confert ad consecutionem vltimæ felicitatis in eo gradu, in quo prædeterminata est: ergo hoc est satis, vt sit effectus prædeterminationis.

13. Trid. Sess. 6. can. 32.

Vnde constat, omnes actus meritorios de condigno augmenti gratiæ esse effectus prædeterminationis: quia effectus talium meritorum in prædeterminatis nunquam frustratur, quia in illis semper impletur illa conditio, quam Concilium posuit, Si in gratia decesserint: ac proinde semper illis responderet effectus semperque manent viuam in Dei conspectu, nam licet ad tempus mortificentur, reuiuiscunt tandem in perpetuum. Quæ ratio probat idem de vltima dispositione ad gratiam meremur, & de condigno gloriam, & ille effectus infallibilis est. Idemque est de condigna receptione Sacramenti, nam illa etiam habet effectum gratiæ perpetuum.

14. De remotis dispositionibus ad gratiam idem dicendum.

Ad idem dicendum esse de remotis dispositionibus ad gratiam, si tales sint, vt de facto aliquo modo cooperentur ad gratiæ iustificantis consequutionem, vel impetrando à Deo maiora auxilia, vel minores dispositiones, vel aliquo alio modo præparando viam, vel dando moralem occasionem, aut consequendi gratiam iustificantem, aut proficiendi in illa. Quia non oportet, vt effectus prædeterminationis immediate cooperetur ad vltimum effectum eius, sed satis est, si immediate, & quocumque modo conducat, nam hoc est satis, vt sit medium efficax, & consequenter ab intentione, & prouidentia efficaci proueniens, & hoc est esse prædeterminationis effectum.

15.

Vnde verissimile est, cum Paulus dixit: Quos prædeterminauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, sub vocatione comprehendisse omnes dispositiones remotas, sub iustificatione omnes proximas cum omnibus meritis, quibus homo in dies magis

iustificatur. Vel si per vocationem solum intelligamus primam vocationem, quæ est initium iustificationis: sub iustificatione comprehenduntur omnes actus pietatis ab illa vocatione manantes & parantes viam ad iustitiam, illos enim omnes ad iustitiam aliquo modo pertinere Concilium Tridentinum Conc. Trid. Sess. 6. c. 5. 6. & 7. satis significauit.

Denique hinc verissimile est omnes actus supernaturales, quos prædeterminatus in hac vita facit esse prædeterminationis effectus, quia vel omnes conducunt aliquo modo ad beatitudinem essentialem obtinendam, secundum aliquem gradum eius, vel certe illis semper respondet in gloria aliquod præmium accidentale, etiam si fortasse extrastatum gratiæ facti fuerint, prædeterminatio enim non solum est ad nudam gloriam essentialem, sed vt ornata suis accidentibus, ac proprietatibus, ergo & omnes actus, qui ad gloriam conferunt, sunt prædeterminationis effectus, maxime vero qui conducunt ad gloriam essentialem.

Vltimo dicendum est, interdum bonum actum vnius personæ esse effectum prædeterminationis alterius. Hoc facile constat ex his, quæ superiori libro disceptata sunt. Potestque explicari ex illis verbis Pauli 2. Timoth. 1. Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur. Nam patientia & voluntas, quæ Paulo dabatur ad sustinendos illos labores, effectus erant prædeterminationis eorum, qui illis medijs proficiebant, & saluabantur. Sic etiam applicatio Sacramenti, quatenus est actio ministrum, esse potest, & frequenter est, effectus prædeterminationis eius, qui per Sacramentum saluatur, vt per se satis constat. Hoc etiam modo dicunt Theologi, & tractat Diuus Thomas dicta questione 23. articulo octauo, prædeterminationem iuari precibus sanctorum, quia precibus Stephani impetrata est à Deo efficax vocatio Pauli: illa ergo preces fuerunt effectus prædeterminationis Pauli: nam ex intentione saluandi Paulum Deus inspirauit illam, & dedit auxilium ad illam necessarium. Neque obstat, quod etiam fuerit effectus prædeterminationis Stephani: quia ex speciali prouidentia circa vtrumque fieri potuit. Et confirmatur, quia illa oratio non fuit causa totius prædeterminationis Pauli, vt supra ostendimus: ergo necesse est vt fuerit effectus. Patet consequentia, quia illa non esset effectus prædeterminatio Pauli quoad effectus suos inchoata fuisset ab eius vocatione: ergo oratio Stephani fuisset causa primi effectus prædeterminationis Pauli: ergo totius. Hæc enim consequentia vulgaris est apud Theologos, quia ex primo effectu deriuatur secundus, & ex secundo tertius, & sic vltique ad vltimum, quando illi inter se habent connexionem causæ & effectus, quo modo comparatur vocatione ad conversionem.

CAPVT VI.

Quæ vocatione & præuenientia auxilia sint prædeterminationis effectus.

Vocationem esse prædeterminationis effectum satis aperte docuit Paulus ad Romanos octauo, Rom. 8. dicens, Quos autem prædeterminauit, hos & vocauit. Difficultas ergo solum est, de qua vocatione sit sermo, & quid sub vocatione comprehendatur. Ratio dubitandi in priori puncto est, quia duplex est vocatione, vna efficax seu congrua: altera ineficax. Vtraque autem illarum habet locum in prædeterminato, & in reprobo. Cum ergo constet, neutram vocationem esse in reprobo. Cum ergo constet, neutram vocationem esse in reprobo prædeterminationis effectum, videndum est, cur in prædeterminato sit prædeterminationis effectus, & an hoc sit verum de omni vocatione, vel de sola efficaci, & an de omni efficaci, vel tantum de aliqua.

Et qui-

Et quidem apud Augustinum sæpe inuenimus, illam uocationem quæ est ex proposito, esse prædeterminationis effectum, vt videre licet libr. 2. contra duas Epist. Pelag. c. 10. & de Prædest. Sanct. cap. 16. & 17. & libr. 1. ad Simplician. q. 2. Eumque imitantur Prosper in libris de Uocatione gentium, & Fulgentius libro primo, ad Monimum, Anselm. in ad Roman. 8. Sumiturque ex verbis illis eiusdem cap. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundum propositum uocati sunt sancti. Intelleguntur enim hæc uerba, non de proposito hominis, sed Dei, vt alibi latius dictum est: & clarius explicat idem Apollolus. 2. Timoth. 1. Vocatus nos uocatione sua sanctus, non secundum meritum nostrum, sed secundum propositum suum & gratiam.

pernaturalem uocationem prædestinati, etiam si re ipsa non sit efficax in ordine ad obinendum consensum, seu actum, ad quem homo uocatur, esse prædeterminationis effectum. Hoc uideri potest difficile, quia Augustinus solam efficacem, & congruam uocationem uidetur ponere prædeterminationis effectum. Sed in primis certum est, electos, & prædestinatos sæpe uocari inefficaciter: vt, uerbi gratia, Paulus priusquam uocaretur uocatione illa efficacissima, & congrua, sæpe forte uocatus fuerat communi, & sufficiente uocatione: idem credibile est de multis Iudæis, qui Christum prædicantem, & uocantem audierunt, eique resisterunt, & postea per Apollolos conuersi sunt, & saluati, quia prædestinati erant. Et in nobis quotidie contingit uocari nos Deum ad perfectionem, uel statum religionis, & sæpius resistere, tandem uero consentire, uel alteri uocationi simili, uel saltem alicui, quæ ad salutem æternam consequendam sufficit. Est ergo in prædestinatis sæpe inefficax uocatio. Quod autem nihilominus talis uocatio sit effectus prædeterminationis, ostenditur primo, quia talis uocatio procedit etiam ex intentione efficaci dandi gloriam, atque adeo ex proposito: ergo est effectus prædeterminationis. Consequentia patet ex dictis, quia electio ad gloriam est fons, & origo totius prædeterminationis.

Probabilis opinio.

Alitè uocatio communi sæpe inefficaciter.

Inefficax uocatio in prædestinatis est effectus prædeterminationis. Probatur.

August. Fulgent. Prosper. Anselm.

h. Tim. 2.

3. Quid autem sit hoc propositum Dei, nunquam facis Augustinus declarauit. Potest enim esse propositum dandi gloriam, uel dandi proximum effectum uocationis, uel fidem, uel poenitentiam, &c. uel solum dandi talem uocationem, quam Deus per conditionatam præscientiam præuiderat fore congruam, si daretur. Et ideo uariæ sunt de hoc opinioniones, quæ in superioribus tactæ sunt. Mihi tamen probabilis multo est, ex mente Augustini citari locis, intelligendum hoc esse de proposito electionis seu dilectionis ad gloriam. Uult enim August. illam uocationem ex proposito esse propriam prædestinatorum: quod non potest esse uerum, nisi ex tali proposito procedat. Nam propositum dandi uocationem, quæ ad proximum actum suum futura est congrua & efficax, commune est reprobis: sæpe enim Deus illos uocatis modo, & certum est non uocare illos sine præscientia, nec sine illo proposito: similiter propositum de ipso actu libero, propter quem datur uocatio, in reprobis locum habet: nam licet aliquis non sit efficaciter ad gloriam præordinatus, sæpe est destinatus efficaciter ad temporalem iustitiam, & ad fidem, & ita sæpe uocatur ex proposito Dei efficaci, vt credat, uel poenitentiam agat. Credibile enim est, quando Deus uocauit Iudam ad Apostolatam, uocasse illum congruo modo ex proposito, vt consentiret, & fieret cum effectu Christi discipulus, esto non esset effectus ad perseverandum in illo statu. Sola ergo uocatio ex proposito efficaci gloriæ, seu gratiæ finalis (quod perinde est) est proprius prædeterminationis effectus.

Versa expositio.

4.

Atque hinc ulterius sequitur, omnem uocationem prædestinati, quæ in ordine ad aliquem actum, seu consensum proximum efficacem est, esse effectum prædeterminationis eius. Probatur, quia talis uocatio semper est ex proposito, non tantum effectus proximi uocationis, sed etiam effectus ultimi totius prædeterminationis, id est, proposito electionis ad gloriam. Quia ille consensus propter quem datur talis uocatio efficaci, est etiam efficaciter præfinitus propter gloriam. Confirmatur, quia talis uocatio semper cum effectu confert saltem mediate ad effectum gloriæ consequendum: at hoc satis est, vt sit effectus prædeterminationis, sicut iam declaratum est. Assumptum patet, quia omnis bonus actus prædestinati, præsertim procedens ex speciali uocatione supernaturali, semper habet aliquem fructum in uitam æternam, uel per modum meriti, uel per modum dispositionis proxima, uel remotæ, vt iam explicatum est. Atque hoc confirmat illud Pauli ad Roman. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundum propositum uocati sunt sancti. Nam si hæc sententia Pauli extenditur ad alia inferiora bona, imo etiam ad mala, vt multi sentiunt, multo certius habebit locum in omnibus supernaturalibus actibus, qui ex uocatione procedunt, ac subinde in omni uocatione efficaci ad aliquem actum supernaturalem.

h. Rom. 8.

5. Addo uero præterea, probabile esse, omnem su-

pernaturalem uocationem prædestinati, etiam si re ipsa non sit efficax in ordine ad obinendum consensum, seu actum, ad quem homo uocatur, esse prædeterminationis effectum. Hoc uideri potest difficile, quia Augustinus solam efficacem, & congruam uocationem uidetur ponere prædeterminationis effectum. Sed in primis certum est, electos, & prædestinatos sæpe uocari inefficaciter: vt, uerbi gratia, Paulus priusquam uocaretur uocatione illa efficacissima, & congrua, sæpe forte uocatus fuerat communi, & sufficiente uocatione: idem credibile est de multis Iudæis, qui Christum prædicantem, & uocantem audierunt, eique resisterunt, & postea per Apollolos conuersi sunt, & saluati, quia prædestinati erant. Et in nobis quotidie contingit uocari nos Deum ad perfectionem, uel statum religionis, & sæpius resistere, tandem uero consentire, uel alteri uocationi simili, uel saltem alicui, quæ ad salutem æternam consequendam sufficit. Est ergo in prædestinatis sæpe inefficax uocatio. Quod autem nihilominus talis uocatio sit effectus prædeterminationis, ostenditur primo, quia talis uocatio procedit etiam ex intentione efficaci dandi gloriam, atque adeo ex proposito: ergo est effectus prædeterminationis. Consequentia patet ex dictis, quia electio ad gloriam est fons, & origo totius prædeterminationis.

6. D. Thomæ.

Accedit præterea (& est efficax argumentum) quod talis uocatio in prædestinato nunquam est sine aliquo fructu in ordine ad consequentem uitam æternam: & hoc satis est, vt sit prædeterminationis effectus. Antecedens declaratur, quia licet illa uocatio non obtineat suum proximum finem, seu effectum, vt supponitur: nihilominus potest aliquo modo parare uiam, vt illa uocatio, quam nunc prædestinatus contemnit, postea in memoriam redacta per aliam uocationem congruam, sit incentiuum humilitatis, gratitudinis, uel alterius boni similis, quod illo modo efficaciter comparatur, & permanet in uitam æternam. His ergo, & similibus modis, etiam uocationes illæ, quæ uidentur inefficaces, cooperantur in bonum æternum his, qui secundum propositum uocati sunt sancti, ac proinde sunt prædeterminationis effectus. Iam uero talis uocatio sic considerata potest dici aliquo modo congrua, & efficax, quia licet non habet congruitatem in ordine ad proximum actum, propter quem data est: respectu alterius fructus, quem tandem obtinet, congrua est, & suo modo efficax: & sub ea ratione comprehendi potest sub uocatione ex proposito.

7. Argumentum efficacem.

8. Unde ultimo concludo, omnia auxilia præuenientia, & ex citantia, quæ datur prædestinatis, quæ tuis communia, & sufficientia tantum uideantur, esse effectus

8. Vltimarefinitio.

Conc. Trid.

effectus prædestinationis, & electionis eorum. Probatur, quia hæc auxilia sunt diuine illuminationis, in quibus diuina vocatio posita est, vt Tridentinum Concilium Sess. 6. capite 4. 5. & 7. declarat: si ergo talia auxilia sunt efficacia, pertinent ad vocationem congruam, si verò inefficacia, saltem pertinent ad vocationem sufficientem: sed ostensum est vtramque vocationem in electis esse effectum prædestinationis: ergo idem est censendum de omnibus dictis auxilijs. Imo non solum de internis auxilijs, sed etiam de externis idem dicendum est, vt de prædicatione Euangelij, de externis signis, miraculis, exemplis, & applicatione bonorum obiectorum, & alijs quacumque diuina custodia. Nam licet sine interno spiritu gratiæ hæc non sufficiant, vt contra Pelagium late tractat Augustinus libro de Gratiâ Christi, & epist. 90. & 95. & definit Concilium Mileuitanum capite quarto; nihilominus sunt supernaturalia beneficia, & necessaria in suo ordine ad pietatis opera: ideoque quando sic dantur, vt profunt cum effectu ad salutem, ex prædestinatione sunt, iuxta regulam Augustini de Bono perseuer. capite decimo quarto. Præterea, licet hæc non semper proxime, seu statim profunt, tandem aliquo modo fructificant in prædestinatis, quibus omnia cooperantur in bonum. Et ideo verisimile est ista omnia esse in illis ex speciali providentia prædestinationis, ac proinde esse effectus illius.

August. Concil. Mileuit.

9. Obiectio.

Dices, non esse necessarium, vt omnia hæc beneficia habeant semper aliquem modum efficacis cooperationis in ordine ad consequutionem vitæ æternæ, etiam in prædestinatis. Curenim non poterit esse in prædestinato aliqua vocatio, vel excitatio, quæ nec tunc cum datur, habeat aliquem effectum liberum, & bonum, nec etiam postea ad illum cooperetur, sed ita transeat, & obliuioni tradatur, ac si nunquam fuisset? Nulla enim ratione efficacis videtur posse oppositum probari. Respondes concedendo, nos non posse certo demonstrare omnia hæc auxilia præuenientia, quæ prædestinatis dantur, esse effectus prædestinationis, proprie & in rigore sumptæ: quia non est impossibile, vt aliqua proveniant ex sola generali providentia gratiæ, si nullo modo sint efficacia, id est, cum effectu conducentia ad fructum vitæ æternæ, quod in aliquibus non repugnat vt probat obiectio facta. Dicimus verò non esse incredibile, omnia hæc auxilia esse aliquo modo vtilia prædestinatis ad vitam æternam, non solum de se, quod est clarum, sed etiam cum effectu, quia hoc est facile Deo, & est consentaneum dilectioni, & providentiæ eius erga prædestinatos, consonatque illi sententiæ Pauli, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Vnde saltem videtur certum regulariter, & ordinarie hoc ita esse, ac proinde simpliciter statui posse generalem regulam, hæc auxilia esse effectus prædestinationis, siue hæc regula interdum patiatur raram aliquam exceptionem, siue non, quod est insertum.

Responsum.

CAPVT VII.

Quæ bona natura, & quomodo sint prædestinationis effectus.

1. Quorundam placitum. Suiditur primo August.

Nonnulli sentiunt, nullum naturale bonum, seu beneficium electis collatum, esse effectum prædestinationis eorum. Potestque hæc sententia suaderi primo ex Augustino de Prædest. Sanct. capite decimo: *Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est preparatio: gratia vero est ipsius prædestinationis effectus:* at bona natura distincta sunt à donis gratiæ: ergo. Accedit, quod Augustinus ad confutandum Pelagium, vbique distinguit beneficium creationis, à beneficio gratiæ, & prædestinationis. Nam Pelagius ad occultandum errorem suum, ipsam naturam, & dona

naturalia vocabat gratiam, quia gratis à Deo datur. Vnde, licet, re ipsa diceret, omnia dona gratiæ supernaturalis, etiam primam vocationem cadere sub meritum procedens à solo libero arbitrio suis viribus naturalibus operante, nihilominus subterfugebat dicendo, illud meritum esse ex gratia, quia est ex voluntate libera, quam gratiam vocabat. Augustinus vero ad confutandum hunc errorem, illa duo distinguit, dicens, gratiam non esse succiendam naturæ, seu libero arbitrio, sed è conuerso, vt patet ex lib. de Præd. Sanct. cap. 2. & epist. 90. & 95. & 105. & toto lib. 1. de Gratiâ Christi. Ex his ergo concludi videtur, nullum naturale beneficium posse inter dona gratiæ, & consequenter, neque inter effectus prædestinationis computari: quia totum illud pertinet ad dona naturalia, quæ cum ipsa natura dantur, vel concreantur.

Secundo, quia aliàs ruit tota argumentatio Augustini: sequeturque, actus morales procedentes ex bona naturali dispositione esse meritorios totius gratiæ supernaturalis, etiam primæ vocationis ad fidem. Patet sequela, quia per actum procedentem à priori gratia, possumus mereri posteriorem, & per vnum effectum prædestinationis prius nobis collatum possumus alium mereri: sed illi actus procedunt ex priori effectu prædestinationis, nimirum ex naturali dono bonæ indolis, aut facili ingenij: ergo tales actus dici possunt hac ratione esse ex priori gratia: ergo possunt esse meritorij omnium sequentium effectuum. Quod tamen dici non potest, quia aliàs daret Deus homini vocationem efficacem ad fidem propter bonum ingenium, vel dispositionem aptam ad virtutem, quod est plane falsum, & late impugnatum ab Augustino libro primo, ad Simplician. questione secunda, ex illo ad Philipp. 2. *Infirmam mundie legit Deus, vt confundat fortia, & alijs similibus.* Sequela vero patet, quia effectus prædestinationis sunt ita inter se connexi, vt ratione vnius detur alius: ergo, si dispositio illa naturalis, est effectus, cum sit prior via executionis, ratio illius dabuntur alij subsequentes.

Alij contrariam sententiam in vniuersum veram esse sentent, nimirum, bona omnia, quæ dantur prædestinato, si talia sint, vt quoquo modo conferant ad eius æternam salutem, esse prædestinationis effectus, etiam si ordinem naturalium bonorum non excedant. Hæc videtur esse communis Theologorum sententia, quam docet Diuus Thomas exponens illa verba ad Rom. 8. *Diligenti us Deum omnia cooperantur in bonum.* Et eodem sensu dixit i. p. questione 23. art. 8. *Sub ordine prædestinationis cadit quicquid bonum promouet ad salutem.* Ratio vero est, quia hæc bona sub hac ratione spectata pertinent ad providentiam supernaturalem, vt per se constat, & in electis pertinent ad illa beneficia, quibus liberantur, & saluantur, ergo preparatio talium bonorum sub ea ratione pars prædestinationis est: ergo illa bona executioni mandata sunt effectus prædestinationis.

Atque hæc opinio absolute loquendo mihi probatur, indiget tamen aliqua declaratione. Quam vt tradamus, reducamus naturalia bona ad quatuor, vel quinque capita, & de singulis dicamus. Primum est ipsum esse seu substantiam hominis prædestinati, & consequenter creatio, vel generatio illius. Secunda est, habere tales naturales potentias, quæ inuitabiliter comitantur talem naturam, & substantiam, in tali gradu perfectionis naturalis. Tertium est, recipere tale temperamentum corporis, cum tali complexionem, vel humorum proportionem, quæ magis vel minus ad virtutem iuuat. In quo bono potest esse aliqua varietas, etiam seruatore nature ordine respectu eiusdem persone indiuiduæ. Quia, licet iuxta principia Philosophiæ vnumquodque indiuiduum aliquid determinatum in hoc